

cati tam indolem et naturam ex scholis positivis repetituri, quam ademptam ei actualem remissionem ex Scriptura breuissimis ostensuri sumus. Nimirum vocatur hoc peccatum in Spiritum S. non eam ob causam, quasi non simul committat in DEUM Patrem et Filium, nam uti recte inquit *Brochmandus*: *Quomodo non peccet in Patrem et Filium, qui peccat in utriusque Spiritum?* Sed ideo vocatur in Spiritum S. quia perpetratur aduersus operationem Spiritus S. qui mentem de veritate et sanctitate doctrinae, quam impugnat homo, potenter conuincit, nam per Spiritum S. DEUS Pater & Filius opus illuminationis et conuersionis nostrae perficiunt. Ii proinde in Spiritum S. peccare censendi sunt, (1.) *qui veritatem Euangelicam abunde agnitam abnegant*, vocantur φωτισθέντες *illuminati* Ebr. VI, 4. *qui deficiunt post acceptam veritatis cognitionem* Hebr. X, 26. (2.) *Qui agnitam Euangelii doctrinam destinato consilio et voluntaria malitia abiiciunt et hostiliter impugnant.* Nam eiusmodi peccatores ἐκβίως ultro voluntarie et destinato consilio impugnare dicuntur agnitam Euangelii doctrinam, Ebr. X, 26. ipsum Spiritum S. contumelia malitiose afficientes, seu, ut apud Marc. III, 29. *blasphemantes*, et Iesum Christum de industria ignominiae exponentes. *Filium DEI conculcant et Sanguinem Testamenti communem ducunt, in quo sanctificati sunt, et Spiritum gratiae contumelia afficiunt.* Ebr. X, 29. Quae singula suo exemplo ex asse comprobata dederunt Pharisei, genuini illi in Spiritum S. peccatores *conf.* Marc. III, 30. (3.) *Qui ita abnegant et impugnant agnitam Euangelii veritatem ut in hac abnegatione et impugnatione ad finem vitae perdurent.* Eiusmodi enim peccator, qui quaevis salutaris resipiscentiae media destinata malitia reiicit et pro ridiculo habet, is sane dum vivit in hac abnegatione et impugnatione veritatis utique persistet, qua de re Saluator nec in praesenti nec futuro seculo hoc peccatum remitti asserit. Matth. XII, 32. Et quamuis impoenitentia finalis non sit de ratione formali huius peccati, siquidem duratio rem intrinsece non constituit; Est